

13

15

# PASCHALIS NAPODANI

P. Eloquentiæ, atque Historiarum  
Professoris

DE VARIIS  
LATINÆ LINGUÆ

VICIBUS.

O R A T I O

Qua Adolescentibus humaniorum litterarum  
studia auspiciantibus proluditur.



NEAPOLI MDCCLXII.  
Typis BENEDICTI GESSARI:  
SUPERIORUM FACULTATE.

SECRET

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL



CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

# NUNTIO MARIAE

POSITIO

BRANCACIANAE BIBLIOTHECAE

PRAEFECTO.

NICOLAUS GEORGIUS

S. D.



Ideo saepe numero, Nunti Doctissime, idque non sine indignatione nonnullos, qui, cum suos velint gnatos optima latinitate imbutos, eos tamen ad vilium acrosticatorum ( quibus praeter unam spem lucelli suis artibus comparandi nihil boni superest aliud ) ad horum, inquam, scholas quotidie celebrandas paternam severitate com-

pellunt. Ac sane istius consilii haud aliam vulgo afferunt causam, nisi quod existiment tanti non esse moliminis, adolescentes in addiscenda Romana lingua instituire, ac dirigere. Verum ii quam pessimo id sentiant publico, & sani omnes intelligunt, & tu ipse perbelles nosti. Hinc enim plerunque praepostera studiorum ratio existit, hinc miserrima illa in studiorum exitu juventutis frustatio. Hic autem exoptulare mihi tecum liceret de quorundam incititia, qui, cum vix a limine, ut ajunt, salutarint latinas musas, nescio qua sibi fronte quandam quasi *ἐπαρχίαν διδασκαλίαν* usurpant, ac tantum non Dictatorio supercilio tuentur. (At isti, libere dicam, ingenuae disciplinae corruptores in malam, si lubet, abeant crucem, neve prava institutione ephebiam ulterius eant pessumdatum.) Sed nolo tibi plura ea de te obtrudere, cum saepissime in iis sermonibus, quos mecum pro tua humanitate habere soles, aperte prae te quidem semper tuleris, ejus te esse sententiae, ut suam Magistri dignitatem decore tueantur, non uno literaturae genere instructos esse oportere: quod ego sic interpretor, eos linguae latinae penitus ignaros requiri. Nec enim diversum quiddam haec duo significare mihi videntur. Quamobrem satis mirari haud queo, cur nullusdum

ex-

extiterit hac in urbe, qui lautioris, quam dixi, doctrinae supellectilis aliquod proferret specimen, quod ceteris munus idem palaestrae obeuntibus veluti fax anteaambulo praeluceret. Neque enim ferendum est, qui huic praeclaro studio navant operam, eosmet, quae sint illius primordia, ac progressus, ignorare, atque ad tot exquisitarum dapum lautitias illotis, ut dicitur, manibus accedere. At bene fuit, quod Paschalis Napodanus Amicissimus Noster hac sane quantivis pretii oratione (quam in vulgus edere e re maxime studiosae pubis fore non vana fuerat conjectatio) diversas per varia tempora Latii sermonis vices tanquam in tabula effictas tironibus ad contemplandum suis proposuit. Ac profecto nunquam te satis laudaverim, qui, ut in lucem isthaec lucubratio prodiret, non mea fecit suasio, ut probares, sed tuum ipsius Judicium. Itaque nihil habui antiquius, quam tibi, prout juvenem decet, majori obtemperare. Sic enim semper ego animum induxi meum, quae tibi semel fuerint probata, ea perinde apud me esse debere, ac si e Phoebi cortina ipsa exciperem. Nam ut mihi, quod nostri homines vere de te praedicant, tantundem fateri liceat, acerrimo tuo ingenio nihil equidem praestantius novi, iudicii vero maturitate tanta polles, ut nullius  
aeque

aeque, ac tua, apud me valeat auctoritas. An-  
non igitur propterea maximopere laetandum  
est, quod hac de vulganda Oratione Auctor  
ipse prius, & fundus mihi fueris? Ea siquidem  
ratione a turpi mangonum artificio ultro me  
lat, opinor, absolves, dum eas tibi merces  
oblatum ivi, quarum tibimet ipse antea optio-  
nem feceris. Verum de Oratione jam satis.  
Unum, ne diutius te morer, postremum ad-  
do, teque oratum volo, ut illam tuam, quam  
dudum affectam habes in forulis, *Historiam de*  
*Paroeciarum origine*, ad umbilicum quantocius  
perducas, neve ferius Ecclesiasticae antiqui-  
tatis amatoribus tantum invidias cimelium.  
Hoc si feceris, expectationem, quam de te  
praeclare concitasti, pluribus, mihi crede, vin-  
ces modulis, nedum adaequabis. Vale.



# ORATIO.



Phidias, nobilis statuarius, cum Minervæ signum ex ebore pulcherrimum finxisset, sui similem speciem clypeo illius tanto artificio inclusisse narratur, ut, si quis eam dissoluisset, totius machinæ luxarentur commissuræ, atque omnium membrorum venustas tolleretur. Postquam litterarum studia per barbarorum incurSIONES intermorta singulari Dei beneficio tanquam ab inferis excitata revixerunt, & ingentibus doctorum conatibus instaurata ad summum splendorem pervenerunt; opus absolutum censeo, quod Phidiæ, Polycleti, Lysippi, & sexcentorum insignium opificum statuas longe antecellat. Atque, ut fatear, cum illi insanissimas librorum oscitantias correxerunt, cum disjecta coagmentarunt scriptorum membra, cum atro denique pulvere sordescentia volumina ab squalore, & situ vindicarunt, quid aliud, nisi statuam omnium formosissimam; & quovis pretio comparandam fecisse existimandum est? Jam vero bonarum artium studis Latinam Linguam tam affinem reor,

tam

tam conjunctam, & quasi cognatam, ut nec Phidiaz imaginem Minervæ simulacro tantum connexam; coarctatamque fuisse crediderim. Sic enim statui mecum, omnes omnium scientiarum, atque artium disciplinas sine penitissima sermonis illius notitia neque addisci, neque retineri, neque posteritati fideliter atque integre transmitti posse. Taceo voluptatem, qua tantum interdum afficior, ut me Tullium, Livium, Horatiumve quotidie lectitantem amabilis quædam ludat infania. Quid si veram germanamque pronunciationem pulchre calleremus? Cygneam catilenam meo quidem judicio facile superaremus: nunc enim vix umbra, & imaginibus utimur, nemo omnium tamen est, Latiali lingua vel leviter imbutus, qui dulcissimi sermonis illecebras non perferat, & magno opere delectetur. Hujus igitur nitidissimæ linguæ varias diverso tempore vices cognoscite, Adolescentes, ut, quid sit melius, quid utile, quid non, tamquam in speculo videntes, aureæ Latinitatis lepores, ac veneres facilius degustetis.

Romanæ linguæ, sicut & Imperii, origo admodum obscura, & ab humili ducta, armorum potentia & finium prorogatione tantum succrevit, ut cultiores terras invaserit, easque regnorum multitudine mirum quantum distitas, & sermonum varietate prodigialiter segetes reddiderit priscae mortalium gentis instar (a) *unius pæne labii*, & artissimo quodam concordie vinculo copularit. Quapropter egregie Plinius (b) Romanorum beneficentiæ tribuit, quod tot populorum discordes feræque linguas sermonis commercio contraxerint ad colloquia, & humanitatem homini dederint. Ac, ne de via longius deflectam, ut ipsi Romani agrestes olim fuerunt,

&amp;

(a) *Gen. XI.*(b) *Lib. III. c. V.*



( III )

& incuti, ita illorum lingua principis rursus & stivam olebat. Quare ipsæ XII. Tab. leges, quas omnium philosophorum bibliothecis anteponendas Cicero (a) censuit, quasque verborum proprietatem religiosissime servare viri docti passim fatentur, infantiam quandoque sapiunt, & subrusticum quiddam sonant, ac peregrinum. Quid autem dicam de illis verborum foetoribus, quos Accius, & Pacuvius evomere visi sunt, cum in M. Catonis orationibus, quem una cum Ennio *sermonem patrium ditasse* Horatius ad Pisones testatur, horridiora quædam verba Cicero deprehenderit? Verum danda est antiquitati venia, nec, quod cum ita locuti sint, venerandorum cinerum multa jam sæcula placide condormiscentium requies sollicitanda. Sic enim & cum potentissimis imperiis comparatum fuit, ut ab exiguis profecta initiis mox fama nominis sui mirifice inclaruerint. Eodem linguæ pacto rudes nascuntur domi, deinde ab usu, quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi, (b) sensim perficiuntur, & maturitatem suam accipiunt. Hoc etiam Horatio infedisse opinor, cum cecinit in Arte:

*Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos,*

*Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,*

*Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.*

Quod quidem de Latina Lingua verosimilius factum oportuit, quippe cum ea ex variis finitimorum populorum sermonibus confluentium in idem asylum, ab Romulo adjiciendæ multitudinis causa apertum, coaluerit. Quid si ex Etruscæ corruptela potissimum conflata demonstraverim? Næ mihi magnas referetis gratias, qui

B

ab

(a) De Orat. I. 44.

(b) Horat. in Arte.

ab Oriente, unde vetustissimæ linguæ ex quodam veluti fonte profluxerunt & ubi Tyrrhenica \* etiam ortum habuit, ultimam Latinitatis originem arcessiverim. Ac primum pleraque instituta Romani, veluti fellam curulem, togam prætextam, & duodecim lictores bis fenos illius populos referentes ex Etruria acciverunt; deinde lingua, qua de nunc agimus, nata est in Tyrrhenorum solo, qui ad utrumque mare totam ferme Italiam olim habitarunt; postremo plurimæ Latinarum vocum originationes ex Tyrrhenia commodius desumuntur. (1) At neque illud præteribo, quod sententiæ meæ velut cumulus accedet, divinum litterarum inventum, teste Mazochio, (a) a Pelasgis, quos eosdem ac Noachidas Phalegici temporis esse voluit, diu ante Cadmum in Tyrrheniam importatum, & postmodum a Tyrrhenis cum Latio fini-

(1) Cum perspicuus D. Isidori locus sese mihi obtulisset, non potui, quin huic sententiæ acquiescerem. Is enim lib. ix. c. i. cum ex quorundam opinione quatuor Latinas Linguas, seu potius ejusdem linguæ vicifitudines distingisset, *Priscam, Latinam, Romanam, & Mixtam.* *Priscam* esse ait, qua vetustissimi Italiz populi sub Jano, & Saturno sunt usi: *Latinam*, qua sub Latino & regibus Tusciæ ceteri in Latio loquebantur; *in qua* (inquit) *fuere XII. Tab. conscriptæ: Romanam* denique (nata de *Mixta* tibi) qua post Tarquinius in Pop. Rom. viguit;

quam & Ennius, Plautus, Terentius, Cicero, alique optimæ notæ scriptores usurparunt. Videntur, ut ex Latina, qua sub Tusciæ regibus obtinebat, ortum habuerit Romana, quam nos communiter *Latinam* vocare consuevimus.

\* *Tyrrheni enim ex urbe Rasena, cujus positum inter Niniven, & Chale Moses Gen. X. II. assignat, Nemrodo insana illi turri substruenda comites & administri, post Babilicam calamitatem universibus multiplicibus jactati, in Italia postremo consisterunt.*

(a) In Tab. Herac. p. 120. s. 7.

nitimisque populis communicatum\*. Quid igitur miramur, si Romani ab Etruscis licet maximam partem, uti fit, immutatum, & corruptum sermonem acceperint?

Verum ab obscuris tandem, & humilibus Latinitatis incunabilis avocemus animum, & orationem, atque ad aureum ejus sæculum, & quasi quandam virilitatem descendamus. Postquam enim a Grajis, quibus ingenium Musa dedit, & ore rotundo loqui, eloquentiam Romani, & cetera pacis ornamenta mutuati sunt, tum incredibile dictu est, quot incrementis eorum lingua aucta fuerit, & quanto elegantiarum penore referta. Plautus inde, Terentiusque, optimi Latinitatis auctores, facilem Latine loquendi viam posteris communientes, gratiis plenas & Attica festivitatis conditas fabulas dederunt. Deum immortalem! quot ex ultima Hispania Galliaque Romam adventarunt, ut politissimum Romanæ historiæ scriptorem Livium unice spectarent? Quot elaboratas ingenio, & industria perfectas orationes Romana rostra reddiderunt? Quam jure meritoque M. Tullius Marti, Bellonæque, & universo Deorum bellatorum concilio receptui cecinit:

*Cedant arma togæ, concedat laurea lingua.*

Ergo cum tantus Latine Linguae nitor accessisset, populis in beneficii loco numeratum est, ut illa uterentur. *Cumanis, inquit Livius, (a) periculis potissimum est, ut publice Latine loquerentur, & praconibus Latine vendendi jus esset.* Ex his certissime mihi persuadeo, Romanos, quibus

B 2

pro-

\* Nec quidquam obest, quod idem in Spio. Bibl. t. I. radstruit, characteres Pelasgicos & Tyrbepcis diversos fuisse: ii enim usu tot

popularum, ut idem in Tab. Herao. comm. l. 6. observat, facile immutari potuerunt.

(a) Lib. 1.

( VI )

producendorum finium acris incubuit cura, a communicanda cum finitimis lingua diu se se abstinuisse. Nimirum illud veriti sunt, ne sua ipsorum lingua in diversos transfusa ramos a pristino quamplurimum colore, velut aurum in plura frustra comminutum, deficeret. Ac, si id non erit, cur non arbitrato suo Cumani Latinam usurparunt; sed ad istud venia Pop. Rom. opus fuit, ac permissu? Porro hæc Livius narrat sub annum DLXXIII.; ut inde liquido appareat, vel Punica post bella; aut Sto satis imperio, Romanam linguam ne transversum quidem unguem a patrio solo discessisse. Per Italiam certe, Latino sermone quam maxime florente, alias ab aliis linguas percrebuisse accepimus. Quamobrem Q. Ennius apud A. Gellium (a) *tria eorunda habere sese dicebat, quod loqui Græcæ, Oscæ, & Latine sciret.* Etruscos autem ad multam Romanorum ætatem (II) propria lingua usus, præter Dionysium Halicarnassensem, quem laudat Muratorius, (b) testantur sexcenti tituli, qui ex ejusdem sententia non ad antiquissima Tyrrhenorum tempora pertinent, sed aut libera, aut jam inclinante Rep. incisi sunt. Præterea clarissimi duo scriptores Livius & Strabo, Oscam; quam Mazochius (c) aut eandem, quæ Tyrrhenica, aut hujus dia-

---

(II) Ætate Gellii, qui sub Antonino Pio floruit, Tyrrhenica lingua, & Gallica in usu fuisse videntur; nam lib. XI. 7. refert, veterem celebratumque hominem in causis, sed repentina, & quasi tumultuaria doctrina præditum; cum apud Præfectum urbis causam agens

quasdam exsoletas voces usurpasset, cachinnis exceptum, quasi, inquit, *nescio quid Tusce, aut Gallicæ dimisset.*

(a) *de ed. XVII. 17.*

(b) *Antiq. Italic. Dissert. XXXII.*

(c) *In Tab. Horac. tom. 9. 54. n. 103.*

( VII )

dialectum fuisse opinatur, in ipsa, Latinitatis sacrario, Roma diu perstitisse tradiderunt. Ac Geographi (a) quidem verba de verbosic expressisse me haud piget: *Cum gens Oscanum eversa sit, illorum sermo apud Romanos viger, cum quibusdam in ludis (Oscos intelligendos monet Turnebus (b)) a Majoribus institutis poemata in scenam producantur, & agantur a mimis.* Quem quidem Strabonis locum mira luce perfundere videtur Livius (c), qui de Atellanarum origine cum differeret, juventutem Romanam, ait, post Livium Andronicum, qui ab aetolis (quas huc usque ludiones Etruscos imitata plebs ad vacivas civium aures animosque demulcendos peregerat) ausus est primus argumento fabulam ferere, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsam inter se jocularia intexta versibus more antiquo jactitasse: id postea poematis, *tanquam partem toti convenientem* (ut loquitur Scaliger (d)) Atellanis insertum, & inde nata exordia: quod genus ludorum ab Oscanis acceptum tenuisse juventutem, nec ab histrionibus pollui passam: eoque institutum manere, ut actores Atellanarum nec tribus moveantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicrae, faciant. At vero quis post luculentissimas Maechii (e) (cujus laudes tacere praestat, quam imbecillitate ingenii extenuare) lucubrationes Italianensium, & praesertim Neapolitanorum Graecissimum sine piaculo pertransibit? Nam urbes Magnae Graeciae non nisi post impartitam illis lege Julia civilitatem Romanam ad instituta eloquiumque Romanorum concessisse demonstrat; quia usque ad saeculum XIV. plures in Magna Graecia libellos

(a) Lib. V.

(b) *Advers.* XII. 18.

(c) Lib. VII.

(d) Lib. 1. Poet. c. 8.

(e) *In Diss. Critic. uni.* p. 100.

& *in Tab. Herac. camm.* p. 62.

( VIII )

los Græco sermone prodiisse ; & etiamnum in ultimis Italiz angulo plura superesse oppidula , in quibus sermo Græcanicus in usu vernaculo est: Neapolitanos autem Latialem sermonem serius accepisse , hoc est sub Domitiano , cum Neapolis Romana colonia evasit: Ea- que ex causa esse ait , quod antiquum inarmor (a) Tito restitutori Gymnasii Neapolitani positum , primo sæculo Græce scriptum sit , nec ei Latina interpretatio accesserit , nisi cum sub Domitiano Principe coloniz dignitatem Neapolis est consecuta. Alios præterea , inquit lapides primo item , aut altero sæculo Græco sermone exaratos , qui partim adhuc visuntur , partim memoria patrum extabant. Quæ cum in Italia , id est in conspectu Populi Romani , quicum finitimi vel connubiosum commercia plerumque exercebant , (b) ita se habeant ; quid si pedem proferatis extra limen illius , & in remotissimas totius Imperii regiones excurratis ? Quot dissonas , quæso , sermone gentes facile numeraveritis ; quantum morum & linguarum varietas apparebit ! alios Græce loquentes audietis , Syriace alios , alios Gallice , & quot denum populos perlustrabitis ; totidem ferme linguæ incredibiliter inter se discrepantes vobis in aure horrendam quiddam personabunt. Unus enim Mithridates (c) Ponticus Bithyniæ rex inclytus , qui a Gn. Pompejo bello superatus est , duarum & viginti gentium , quas sub ditione habuit , linguas percalluisse fertur. Quid vero ? Julius Cæsar , qui sub extrema Reip. tempora , cum terrarumque Romani fines imperii late propagassent , commentarios edidit , nonne de tribus Galliæ populis prodit , quod

(a) Vide cit. Differ. p. 235.

(c) A. Gellius N. A. lib.

(b) Adis. Exceb. Spanb. in  
Or. Rom. Extr. II. c. XXII.

XVII. c. 17.

quod lingua, institutis, legibus inter se differrent? Quid denique Ulpianum (a) Antoninorum temporum Ictum commemorarem, qui praeter Latinam multas alias praeterea linguas tunc in Imperio Romano viguisse testari videretur, cum de fideicommissis scribit: *Fideicommissa quocumque sermone relinqui possunt, non solum Latina, vel Graeca, sed etiam Punicæ, vel Gallicana, vel alterius cuiuscumque gentis.* Ad summam sane quam angustis (b) Cicero limitibus Latinam Linguam circumferibit, cum ait: *Graeca leguntur in omnibus fere gentibus; Latina suis finibus exiguis sane continentur.*

• Heic vos, Auditores, mirari sentio, me, cum ab initio Latinae Linguae laudes instituerim, in tam exiguos ejus fines desivisse, ut gloriam tanti nominis obscurare videar. Quod contra est; tantum enim abest, ut hoc illi vitio vertendum sit: etiam inde Romani sermonis elegantia, & dignitas nitidius elucescit. Nam ut fluvius quo longius a fonte divertit, eo magis collectis undique ramentis inamarefcit; sic linguae a pristino candore longissimum spatium decedunt, si alieno solo inferantur. Quis enim Latii non miserebitur, cum ejus lingua super patriae puritatis alveos effusa latius per provincias serpere coecepit? Hæc præcipua corruptæ eloquentiæ causa fuit: hinc horridonæ voces in Latium perreperunt: hinc foedum virgini huc usque linguae stuprum illatum est: hinc denique prima emortui sermonis origo repetenda. Expiscanti mihi profecto causam, cur Latinus sermo Latii cancellis, vel potius urbis pomeriis summa custodia inclusus, ne foras dilapsus in peregrinitatem edigeretur, claustris demum refractis provincias pervaserit, nulla alia in mentem ratio venit, quam innume-

ra

(a) L. II. D. de Leg. 3.

(b) *Pro Archia Doto.*

rabillium prope coloniarum in ultimas terras deductio; & civitas cum orbe Romano communicata. Gellius (a) (ut a primis ordiar) colonias civium Romanorum urbis Romæ quasi effigies parvas, & simulacra quædam jure appellat. Nam ut omittam, quod vel ante civitatem universæ Italiæ lege Julia datam, hujusmodi coloniis privata (III) saltem jura testamenti, necus, ufucapionis, & alia id genus relinquebantur; an-

(III) Colonias duum fuisse generum prolixè tradit Spanhem. ad Const. Anton. Imp; unum *coloniarum Latinarum*, alterum *civium Romanorum*. *Latine* erant, quæ cum jure Latii deducebantur, seu quæ non adipiscerentur civitatem Romanam, nisi prius gestis in patria magistratibus; nam ita demum per Latium Romana civitas patebat. Quare, ut cetera prætermittam, de Nemauso Galliæ Narbonensis urbe refert Sraheo p. 187. ejus incolæ in patria quæsturz & ædilitatis perfunctos jam honoribus Romanos evasisse; videtis Casaub. ad h.l. Ergo rectè Boethius ad Top. Cic. lib. 2. observat, cives Romanos, qui in Colonias Latinas scribebantur, mediam capitis deminutionem, in qua civitas amittebatur, passos esse. Antequam hinc abeo, adverta-

tis velim, post latam sub Augusto legem Juniam Norbanam, *Latinos coloniarios* dictos esse, qui in hujusmodi colonias mittebantur, ut patet ex Ulp. frag. tit. XIX. sec. 4. & altero veteri juris frag. a Pithæo edito; ad Schul. vet. Jurisp. p. 621. & p. 805. Sic autem appellati sunt, ut a *Latinis Junianis*, qui & *Liberti Latini* dicti sunt, sicut eorum libertas *Latinitas*, discriminarentur; nam, ut loquitur Justinianus l. unic. C. de Lat. Lib. toll. ad *Similitudinem antiquæ Latinæ*, quæ in colonias missa est, sunt introducti; plura de his vide apud Spanhem. ad cit. const. Exerc. I. c. VIII. & Exerc. II. c. XIX. *Colonia Romana*, ut ad id quod instituti revertat, meliori, quam Latinæ, conditione deducebantur. At num omnia civitatis jura retinuerint, an privata tantum,

(a) Lib. XVI. c. 13.



*siq̄ue* (a) *patriæ* ( sic enim Romam vocabant ) desiderium ; ut lenirent , sua sibi faciebant Capitolia ( b ) , eoque , ut ex Arnobio ( c ) patet , eosdem , qui in Romæ Capitolio dii colebantur , inferebant . *Ærarii* præterea coloniarum frequens in vetustis marmoribus mentio occurrit , & is , qui ei præerat , sicut Romæ vocari sollemni in more positum fuit , quæstor nominatur . Nec filebo , quod equester ( d ) coloniarum ordo , & quatuordecim in amphitheatro gradus scorsum a cetera multitudine equiti assignati , ut Roscia lege in earum metropoli statutum fuit , legantur . Igitur & Latina locis vocabula a coloniis indita , & cognomines magistratuum appellationes , & retenta ab iisdem privata juravinculenter evincunt , eas patriam linguam servasse incolumem , & in contractibus ineundis usur-

C

pal-

acris inter Sigonium , & Manutium concertatio vertitur . Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. III. c. 3. privata dumtaxat Quiritium jura eis indulta patat , testamenti videl. , connubiorum , patriæ potestatis , legitimi domini , nexus , usucapionis &c. non item publica , veluti census , tributorum , vectigalium ; & multo minus suffragii , & magistratum Romæ gerendorum ; quæ postrema duo Coloniais Romanis Manutius de Civit. Rom. adseruit . Verum Sigonii sententiam verosimiliorem existimo ; quam & pluribus auctorum locis Sigonio incognitis Spanh. Exerc. I. c. IX. confirmat ; & exemplum proletario-

rum , & capite censorum ab eodem allatum , quod et si Romani cives essent , jus tamen suffragii , & honorum petendorum non habuerint , mihi valde idoneum videtur .

( a ) *Vid. Spanh. in orbe Rom. c. VIII. & IX. Exerc. I.*

( b ) *Vide Max. in Camp. Amp. tit. p. 161.*

( c ) *P. 137. ibi.* Nonne vides in Capitolis omnibus virginales esse species Minervarum .

( d ) *Ad. sis Max. in Camp. Amp. tit. p. 127. , ubi se peculiare opus de ordine equestri municipali in forulis affectum habere testatur . Utinam quis ei in animum inducat , ut illud edat , nec tantum nobis bonum invidet .*

passé. Si enim Romani de certis verborum formulis, (a) mirifice sibi placebant, easque in ratione tam privata, quam publica non eodem, quo a prudentibus modo conceptæ erant, adhibere flagitio ducebant sibi; quis colonias vel in testamenti factione, vel in rebus mancipi alia, quam Latina lingua contrahentes æquo animo feret? Neapolis quidem, ut optime animadvertit Mazochius, (b) cum inter Colonias Romanas numerari sub Domitiano coepit, in Latinum quoque sermonem concessit; qui tantas in posterum ibi radices egit, ut Hellenismus non ante postliminio restitutus sit, quam Justinianus eam a Gothis VI. sæculo eripuit. Eapropter Statius Papinius Neapolitanus Latina tantum poemata sub Domitiano scripturavit, & innumerabiles quotidie inscriptiones Neapoli effodiuntur Latina lingua exarata. At neque culpandum existimaverim, qui latifundia Latina Linguae per colonias latius diducta, & ad accolae porrecta dixerit. Græcos (c) equidem ( apud quos sanctiora coloniarum jura fuisse mihi persuadeo, cum hae a metropolibus suis tanquam a parentibus liberi, sacra, sacerdotes, latores legum, annuos magistratus, & corporis præterea cultum petere consueverint ) sed Græcos hæc adscribendarum in diversas orbis partes coloniarum arte & genus, & linguam olim propagasse tralatitium est. Græcanicus enim sermo sic per Asiam, Africam, Siciliam, Italiam, Gallias, Hispanias, necnon Parthos, ut notat (d) Lipsius, increbuit. Sed jam  
 fa-

(a) Vide J. Vinc. Gra. in vna Bar. Briss.

(b) In Diff. Catb. m. p. 100. & seqq. & p. 233. & seqq. & in Tab. Herac. com. p. 62. & seqq.

(c) Consulo Span. in orb. Rom. Eur. l. c. VIII.

(d) In de rest. Pronun. Lat. Lin. c. III.

fatis de prima latissime propagatæ Latinitatis causa: restat, ut de Imperatoris Antonini constitutione (a), quæ omnibus ingenuis orbis Romani civitas est impertita, dicendum esse videatur. (IV) Non enim possum inducere

(IV) Romana civitas, quæ nihil antiquius, nihil carius Quirites veteres habuerunt, non dari olim solebat, nisi singulis hominibus, aut urbibus; at quibus deinceps gradibus ad universum Imperium se se diffunderit, id nunc breviter est mihi expediendum. Primo enim cum socii, qui in Latio & Italia erant, jus civitatis, quam suis ipsi viribus auxerant, justissime peterent, & ab Senatu sæpius repulsam obtinissent; gravissimum inter Romanos, eorumque socios bellum deservit. Quo quidem adhuc bacchante bello, L. Julius Cæsar A. V. C. DCLXIII. fociis, qui fidem coluerant Romanam, lege lata civitatem dedit. Mox opera Pompeii Strabonis cum bellum Italicum deservisset, ejus legis beneficium in omnes Italos est ampliatum. Posteaquam autem Cæsar dictator rerum potitus esset, quod nec Senatus liberæ Reip. temporibus sine populi consensu cuiquam concedere solebat; ipse cuiquam vellet, vel integris extra Ita-

liam oppidis, quod novum institutumque erat, largiebatur; itaque apud ipsum gratia pollebentes viri venalem Romanam civitatem vulgo haberent, & post ejus obitum M. Antonius tanquam ex ipsius testamento relictam toti Siciliæ dedit: ea de re serpe queritur Cic. ut Phil. I. c. 10. *civitas non jam sigillatim, sed provinciis totis dabatur.* Augustus, qui illum in imperio ex cepit, civitatem parcissime dedit: & extat apud Svetonium in Aug. c. 40. ejus optimo principe dignissima sententia; agebat enim, *se facilius passurum fisco detrabi aliquid, quam civitatis Romane vulgari honorem.* Sub Claudio Principe civitatis jus illud; inquit Dio lib. LX. *magna quondam pecunia venditum adeo vile factum est, ut vulgo jactatum fuerit, etiam si quis vasa vitrea confracta dedisset, eorum Romanum fore.* Quapropter cum D. Paulus Act. v. 25. *Civem Romanum* se appellet, in Græcis scholiis adnotatur, patrem ejus civitatem pecunia sibi redemisset, quamquam id ita fieri non necesse est.

(a) L. 17. D. de statu Hom.

re mihi in animum, cum per eam omnes iugentui civitate donati sint, quempiam fuisse tamen, qui apud Magistratum, si quid ei Quiritium legibus experiendum esset, id non Latine persequi auderet. Auctor est Valerius Maximus (a), priscos Magistratus ad imperii majestatem conservandam illud quoque magna cum perseverantia custodisse, ne Græcis umquam nisi Latine responderent: quia etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valebant, excussa, per interpretem loqui coegisse, non in urbe tantum, sed etiam in Græcia, & Asia, quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Quod quidem sensim sine sensu tantum invaluisse putaverim, ut, quod primum libere a magistratibus fiebat, consecutis deinceps temporibus in legis necessitatem transierit. Tryphonius (b) enim Ictus: *Decreta*, inquit, *a pratoribus Latine*

ne

cessum fuit; propterea quod D. Paulus, vel majores ejus illud sibi jus aliunde querere potuissent; nam Tarli, quæ Augusti beneficio Ciliciæ metropolis erat, agebant; cui tamen *Ελευθέρως* nomen h. e. liberæ, & immunis (quod a M. Antonio ei collatum legitur) antiquus sub Caracalla percussus nummus tantum tribuat: erat tamen in pari cum ceteris Imperii urbibus conditione, ut ejus cives, quocumque modo id fieret, possent civitatem consequi. Quid plura? ne singula parcensendo dies me deficiat; ceteri qui successerunt Imperatores exemplum J. Cæ-

aris secuti arbitrium civitatis dandæ, & quidem modo parce, modo liberaliter admodum sibi unis permiserunt; donec Antoninus omnibus omnino iugentui concessit. At quinam iste Antoninus fuerit, cum sæculi fere integri principes ad in eundam populi gratiam hoc sibi nomen ab Antonino Pio sapientissimo Principe derivatum adrogasse satis scitum sit, adhuc eruditi inter se digladiantur. Ezech. Spanh. Exc. II. c. IV., quem libenter sequor, Caracallam hujus legis auctorem fuisse statuit,

(a) *Lib. II. c. 2.*(b) *L. 48. D. de re Judi.*

*ne interponi debent*. Itaque vel post translatum Constantinopolim Imperium constitutiones ab Imperatoribus Latine promulgabantur; hodieque Romana Ecclesia sacrarum Latine condendarum legum ab ultimis repetitam temporibus tuetur consuetudinem. A priscis enim usque sæculis Latinum sermonem Romana sibi Ecclesia adoptavit, ita ut in quodam Stephani IX. (a) Pont. Max. diplomate sub *Latina Lingua* nomenclatura tota quacumque patet Romana intelligatur Ecclesia. Legati propterea Sedis Apostolicæ litteras Romanorum (b) Pontificum ad synodos Græcorum Episcoporum conscriptas Latine legere, nec, nisi eslagitantibus ejus confessus Episcopis, Græce reddere consueverunt. Unde & Marcianus Imp. in Chalcedonensi Sacrosancto Concilio apud amplissimum Patrum conspectum concionem habiturus, eandem orationem Latine prius, postmodum Græce pronunciavit. Nicolaus Papa præterea in epistola ad Michaellem impium Imperatorem in Latinam Linguam sceleste debacchantem testatur, in Missarum sollempniis penes Græcos id semper observatum, ut tam Lectiones Evangelicæ, quam Apostolicæ primum Latine, deinde Græce in eadem Ecclesia publice recitarentur. Jam vero, ut unde exorsus fui redeam, si olim Magistratus nonnisi Latine interloquebantur, post Antonini constitutionem lites contestatas, & acta publica alio quam Latino sermone consignata judicabitis? Tum enim, cum omnis pæne orbis, ut Clementis Romani (c) verbis utar, omnesque nationes, propriis primo legibus institutisque viventes in Romanorum jus, & civilia scita declinassent, tum, inquam, quis orbis Romani civis Græca  
alia-

(a) *Extat in Bull. Cluni.*  
(b) *Bar. ad A. Chr. XVI.*

(c) *Recognit. l. IX. c. 27.*

aliave lingua secundum jura Quiritium impune testari potuit, aut uxorem spondere? Huic videlicet eandem ignominia notam inurendam putarim, quam Claudius (a) Imperator cuidam Legato Lycio, sed Romæ nato inflixit: quem merito civitate, cum Latine nesciret, privavit. Enimvero si Juvenalis (b) Romanos in urbe gracissantes se se ferre non posse conqueritur, nonne quivis idem de Romano cive, quocumque agat terrarum angulo, jure exoptulaverit? Post attributam enim omnibus civitatem, Roma communis patria evasit, & unica totius orbis civitas, ut loquitur Sidonius Apollinaris (c), in qua soli servit, & barbari peregrinarentur. Quamobrem sicut omnibus togæ (d) usus datus est, mutua connubia, testamenti factio, jus capessendorum in urbe magistratum, & cetera civitatis beneficia concessa; cur non etiam Latinitas, cum id Romanæ politia ratio imprimis postularet, cum omnibus populis est communicata? At ne quis in aere me piscatum existimet, brevissime recensebo provincias, in quas post Antonini constitutionem (nam id prius fieri nequivisse ex iis liquet, quæ antea significavimus) Latina Lingua perrepsit; & per longum postea tempus obtinuit. Nihil autem de Italia dicturus sum, quam certissimum est post legem Juliam in Romanorum instituta, & linguam descivisse, quandoquidem Strabo (e) omnes Magnæ Græciæ urbes, præter Tarentum, Rhegium, & Neapolim (f) barbariem jam suo tem-

(a) Dio lib. IX. cui simile exemplum habes apud Svet. in Claud. c. XVI.

(b) Sat. 3.

(c) Lib. 1. ep. 6.

(d) Vid. Span. in Orb. Rom.

Exer. II. c. VI. XX. XXII. XXIII.

(e) Lib V.

(f) Vide Mazoch. in Diss. cath. uni. p. 100. & in comm. Tabul. Hera. passim.

tempore induisse contristatur . Quocirca quis non mirabitur Richardi Simonis (a) temeritatem , qui dicam sempiternæ gloriæ merentissimo annalium Parenti impingit, quod D. Marcum Latine scripsisse Evangelium censuerit, cum Judæi Romam habitantes, quorum gratia hic Evangelium evulgavit , Græci oris extiterint . Nam præter alia, quæ contrarium suadent, conquoquere non possum, cum omnis tunc temporis Italia Romano Sermone inter se verba commutaret , Græce Judæos collocutos ; quos Romæ natos, & eductos Latinum eloquium cum lacte nutriticis imbibisse potius statuendum erat, quam Græcum usurpasse: quod quidem si vellent ediscere, id arte sibi, & magistrorum opera comparandum fuit ; verum de pauperculis Judæis, quorum sat ampla supellex *copbinus erat*, ut ait Juvenalis, (a) & *fenum*, id prorsus non est credibile . At nec Italiam prætervecto, & in Imperii provincias cursum dirigenti mihi in Africa diutius consistendum est, quam post Antonini constitutionem Latine sermonem amplexam esse argumento sunt Cypriani, Augustini, Afrorumque reliquorum Patrum scripta, & ad populum habitæ conciones, quibus illi mysteriis Divinis rudem plebem informabant . Vix enim credi potest, sanctissimos illos Ecclesiæ proceres frequentissimos populorum confessus Latine adlocutos, quos ejus sermonis ignaros intelligerent . Ad Gallias itaque alacri animo festinemus, quas post Antonini legem in Latinam linguam deflexisse non levia momenta rationum constabiliunt ; nam si ævo suo Strabo illam exuisse jam barbariem prodit, quid tum fieri necesse fuit, cum per Antoninum cuncta Gallia civitatem est consecuta ? Ac mirari profecto subit, tam

bre-

---

(a) *In Hist. Crit. Nov. Test.*  
c. XI.

(b) *Sat. IV. v. 542.*

( XVIII )

brevi temporis spatio, quod inter Cæsaris ætatem, & iulii Geographi intercessit, Gallos a patriis institutis tantum recessisse, ut cum Cæsaris temporibus tres Galliarum populi moribus, & lingua inter se differrent, Strabo, qui sub initia Tiberii principatus floruit, *mutatos jam in Romanum morem & lingua & vita, quosdam & civili gubernatione scribat*. Ergo Latium sermonem post Antoninos ut cum maxime in Gallicano nomine insedisse, atque inveterasse oportuit, propterea quod jam tum vetustæ paternæque linguæ nec vola, nec vestigium appareat. Eapropter ubertatem Gallici nitoremque sermonis summopere D. Hieronymus (a) extollit: inde etiam municipales illæ Vesontionis, & Lugduni (b) florentissimæ Academiæ ortum habuere. Jam vero quis dubitabit, quin Hispani, qui ætate Strabonis (c) togam, & Italicam vivendi formam jam adsumpserant, post Antonina tempora Latini oris evaserint? Tam spissa sane in Hispaniis municipia coaluerant, & tam crebra ibidem cum Romanis agitabantur commercia, ut Josephus, (d) qui ante Antoninos vixit, Romanos vocaverit Iberos, & cum Tyrrhenis Sabinisque civitate lege Julia jam antea donatis contenderit (e). Cur autem conjecturas aucuper, cum idem Strabo (f) de Hispanorum Latinitate nullum hæsitacioni locum relinquat, de Bætica ajens: *Qui ad Bætiam colunt, plene planeque conversi jam in Romanos ritus, adeo ut nec sermonis sui patrii meminerint*. Quid porro loquar de Pannoniis, & Bri-

---

(a) *Epist. Sel. II. 13.*

(b) *Vid. Du-Cang. in Pref. Gloss.*

(c) *P. 167.*

(d) *Lib. II. contra Apion.*

(e) *Vide Span. in Orbe Rom.*

*Exer. I. c. XVI.*

(f) *Vide Lips. de re. pro. L. c. III.*



Britannis, quos multo ante hæc tempora Romanam linguam non latuisse, Tacitus, & Vellejus apud Lipsium (a) manifesto arguunt? Verum Satyrici de Gallicana Britannorum institutione hic exseripsisse verba non poenitebit.

*Gallia caussedicos docuit facunda Britannos.*

Tametsi autem Orientem (reliquum est enim, ut de hoc pauca dicamus) affirmare non ausim, ut in Romanorum instituta, sic in linguam descivisse; tamen Latinum sermonem hic non esse penitus ignoratum, tum leges suadent a Byzantinis Imperatoribus Latine editæ, Latineque in jure agendi, quam ante dixi, necessitas (v);

D

tum

(v) Com pleraque apud Romanos certis comprehensa verbis non nisi Latine obiri possent, & Græcitatem in Oriente ab ima plebe extirpari difficile esset: ex eo factum conjicio, ut Constantinus M. totam formularum conceptionem submoverit, uti liquet ex L. Quoniam C. de Testam., ubi Imp. Constantinus edicit, ut, abolita inani verborum observantia, *quolibet loquendi genere* possit heres institui. Ex quibus vides, ab lege Constantini heredis institutionem (id quod etiam de legatis dici debet) quam antehac utpote juris mere civilis Latinis verbis concipi moris erat, Græco etiam sermone fieri potuisse, non secus ac fideicommissa, quæ (ut antea ex Ulpiano l. II. D. de Leg. 3.

vidimus) quovis sermone scribi poterant. Illud enim *quolibet loquendi genere* tantundem esse existimo, quod qualibet lingua. Eusebius quidem in vita Constan. lib. IV. c. 28. hanc ipsam Constitutionem (ut mirer Valefio ad hunc Euseb. locum excidisse, hodie non extare illam Constan. legem, qua formulas testamentarias sustulit, cum præter hanc supersit etiamnum lex uni. C. de Form. & c. qua generatim omnes formæ radicitus amputantur) sed hanc ipsam constitutionem Eusebius veluti digito ostendens, ait Constantinum statuisse, *ut moriens nudis verbis, & fortuita oratione τῷ τυκόντι γράμματι*, (h. e. ut interpretor *ἰδίᾳ διαλέκτῳ* patrio sermone) *voluntatem suam testaretur*. Ac profectio sublata ver-

bo-

(a) L. c.

tum præsertim Theodosii, & Valentiniani Augustorum Constitutio, (a) qua in ipso Constantinopolis Auditorio, præter quinque sophistas, & Grammaticos Græcæ Linguæ decem, itidem jubentur esse, *quos Romana Eloquentia doctrina commendat, oratores quidem tres numero, Grammatici vero decem.* Ex quibus illud esse censeo, in ortivis Imperii provinciis, quamvis Græcitas in usu fuerit quotidiano, tamen civitatum florem Latinum sermonem & privatim ad aucupandam Romanorum gratiam, & publice ad juris vincula adstringenda adhibuisse. Videtis interim Latinam linguam per colonias primum, deinde per Antonini legem longe lateque diffusam, ut, Oriente (b) excepto, ubi Hellenismus apud imam multitudinem ob-

borum sollemnitate, illud etiam confectarium videbatur, ut quocumque sermone possent testamenta condi. Hinc Imp. Theod. & Valent. l. 21. C. eod. explicasse mihi potius videntur hanc Constantini legem, quam aliquid novi constituisse, cum ajunt: *Illud etiam huic legi prospeximus inferendum, ut etiam Græco omnibus liceat testari.* Non igitur audiendus est J. Vinc. Grav. in de Div. Arc., qui Constan. M. in judicio sistit, quod antiquatis formulis liberrimam litigatoribus assam præbuerit concertandi, & totum judiciorum ordinem perturbaverit. Nam quid illa confusione tetrius dici potest, cujus meminit Philostratus in Apollon. de quodam Peloponnesi Præsidi loquens, cui, cum

Græce nesciret, os ab omnibus sublinebatur: *Errabat igitur, inquit, ipse plerumque, & in multis etiam fallebatur: socii namque & judiciorum ministri pecunia corrupti perversæ causas judicabant, calumnias in Præsidem velut in servum referentes.* Quæ rerum perturbatio tum, quæso, sequeretur, cum Græcus homo Latine testamentum condere, vel Latinam ab judice formulam petere cogeretur?

(a) *L. unic. C. de stud. Lib. &c.*

(b) *D. Hieron. in Præf. epist. ad Gal. lib. II. ita loquitur: Galatas (excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur) propriam Linguam eandem partem habere, quam Treviros.*

tinerebat, apud reliquam omne Imperium in usu fuerit vernaculo. Cur enim hoc usu venisse tum negabitis, cum Plutarchus, (a), qui sub Trajano floruit, testetur: *ævo suo omnes fere homines Latino locutos?* Præclare igitur S. Augustinus admonuit (b): *datam esse operam, ut civitas inpariosa non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per speciem societatis imponeret.*

Verum inficias non iverim, Romanos, cum unius sermonis vinculo tot populos incredibili linguarum, & institutorum varietate disjunctissimos in unam veluti civitatem compoegerunt, summum humano generi contulisse beneficium; propterea quod *efficit linguarum varietas*, ut ait vetus quidam apud Lipsium, (c) *ut externus alieno non sit hominis vice.* At illud interim omnes mihi libenter dabunt, fatale eam ob rem Latine Lingue vulnus infictum. Quid enim imperito vulgo in advenam linguam prolapsa facietis, qui, cum sermonem patrium vix commode teneat, rusticeque pronunciet, facile in barbarissimos deflectit, sermonique alieno sua immiscet vocabula? Byzantium equidem Græcam urbem posteaquam Romanum imperium, & linguam Constantinus Magnus intulit, uterque sermo promiscuus habitus adeo conturbavit, ut neuter satis pulchre in ore haberetur. Nempe id vel ex epigrammate in (vi)

D 2

Theo-

(vi) Bilinguem hanc inscriptionem utrimque Byzantino Obelisco appositam producit Fresenius in Constantinop. Christ. p. 105. Huc Latinam tantum, quoniam id nunc agimus, contulimus: Græcicam alibi *ὁμοῦ θεῶν* illustrabimus.

*Difficilis quondam dominis parere serenis.*

*Iussus & extinctis palmam præ-*

*stare tyrannis.*

*Omnis Theodosio cedunt, sub-*  
*liquæ perennis.*

*Ter deus sic visus ego domin-*  
*usque diebus.*

*Judice sub Proclo superas elan-*  
*tus ad auras.*

(a) In Quæst. Platon.

(b) De Civ. Dei lib. XLX. c. 3.

(c) L. c.

Theodosii Senioris obelisco Græce Latinoque sculpto perspicue colligitur, quod idcirco *inaptum* Franciscus Philelphus (a) merito nuncupavit: Igitur cum (b) *unaquaque provincia, & regio habeat proprietates suas*, hinc cujuscumque gentis idiotismi in Latinum eloquium prono veluti alveo defluerunt. Quare B. Hieronymus (c) de Latina Lingua suo pte tempore jam pessum eunte ita conqueritur: *Ipsa Latinitas & regionibus quotidie mutatur, & tempore.* Quid mirum autem, si post Antonin. (VII) potissimum tem-

(VII) Quibus Latinam linguam in plures ætates dispensare placuit, ii auream, uti vocant, ætatem ad Tiberii usque tempora deduxerunt: in argentæam Tacitum conjecerunt, Svetonium, aliosque, qui ad usque alterius Christi sæculi initium floruisse dicuntur: in æneam omnem fere Istorum cohortem, & Historiæ Augustæ scriptores: in ferream denique, & luteam reliquos omnes, qui a Constantino Magno ad nonum sæculum vixerunt. Cum autem ego animadvertissem ab Augusto usque ad Antoninos Latinam linguam bene ætatem tulisse, nisi quod apud vulgum, ut ex Quintiliano mox producendo manifestum erit, ob quotidianum prope convenarum ex diversis gentibus in urbem appulsum, quantacumque ea fuerit mutatio, in deterius incubuerit: nullo modo persuadere

mihî potui, ut Tacitum, Svetonium, Senecam, aliosque id ætatis elegantissimos scriptores in argenteum sæculum rejicerem. Quid ita? quia si hujus ætatis scriptores ideo sunt in argentæam referendi, quod ab aurei sæculi puritate parumper discesserunt, etiam Tullius argenteus erit: quod a Terentiana, quam ipse plurimum suspexit, simplicitate longe abierit. Nec vero a memet ipse impetrare potui, ut Istos Istos, qui ab Adriano ad Antoninos floruerunt, ad summam caveam referrem: quos, si Scævola ille adviveret, aut Servius, inter orchestram recipere non erubescerent. Nam si qui navi in illorum fragmentis insunt, ii vel Triboniano, vel librariis imputandi. *Vide Salm. ad jus Att. & Rom. p. 174. & seq.* At hæc de Latinitate Istorum satis fiat: nam de ea præclara extant ab Andrea

Du-

(a) *Apud Du. Can. in Constant. inap. Chris. p. 105.*

(b) *Hieron. in Mat. c. 26.*

(c) *In Pref. epist. ad Galh. 2.*

tempora Latine Lingua vitium fecisse dicatur, cum ob eandem causam multo ante Quintilianus (a) tristetur, peregrina verba ex omnibus propemodum gentibus; ut homines, ut instituta etiam multa in Latium venisse? Quapropter egregie S. Hieronymus (b) Lætam viduam de instituenda Paula ejus filia erudiens mature illam Latinis fontibus admovendam præcipit, ne, si id operam adulta navet, in rusticitatem sermonis prolabatur: *Sequitur stasino, inquit, & Latina eruditio, quæ si non ab initio es tenerum composuerit, in peregrinum sonum lingua corrumpitur, & externis viris sermo patrius sordidatur.* Quæ cum ita sint, egregie S. Isidorus (c) cum quatuor Latinas linguas enumerasset, ad extremum addit: *Mixtam esse, quæ post imperium latius promota simul cum moribus, & hominibus in Romanam civitatem irroptit, integritatemque verbi per solaciosos & barbarissimos corrumpit.* At vero cum eam sermoni Latine plagam post Antoninos injectam affirmavi, nolim id ita accipiatis, ut quod Salmasio (d) arrisisse sentio, qui ea proxime tempora floruerunt scriptores, in Grammaticam etiam peccarint; quod quidem post barbarorum demum irruptiones evenisse inferius ostendam (VIII). Enim vero si de im-

mul-

Dukero collecta Opus. var. Itaque si Latina lingua in certis statibus, ut humana vita, dividenda sit, has ego potius rationes inire velim, ut ætas aurea ad Antoninos usque porrigatur, sub quorum principatu, vel circa tum orbis Romanus Latini oris evaserit, Romanus sermo Provin-

cialium idiotismis inquinatus non parvam accepit calamitatem, ut hinc demum argenteæ initium sit devocandum; quæ quidem in barbarorum adventum desinet. Tum enim, omnibus suisque dequæ habitis, Latinitas omnis deperit: (VIII) Depromit quidem Martorius: *Ans. Ital. Dis. XXXII.*

(a) Lib. I. c. 9.

(b) In epist. ad Lætam.

(c) Vide Not. I.

(d) In Vopis. in vita Probi. c. 17. &amp; ad. jur. Ant. &amp; Rom. p. 174. &amp; seq.

multitudine loquimur, vel illo florentissimo bonæ Latinitatis sæculo *totâ sæpe theatra*, ut ait Fabius, (a) *Omni omnem circi urbani barbare exclamasse scimus*. Quare, ne in hujusmodi errata inciderent, vel doctissimi Romanorum operam Grammaticæ dabant a pueris. Unde & idem Quintilianus Fabius (b) de M. Tullio scribit, *quod artis hujus diligentissimus fuit, & in filio recte loquendi asper quoque exactor*. At Grammaticæ menda, & ignorationem nec in classicis, nec eos consecutis scriptoribus, licet in sequiorem Latinitatem jam declinantibus; non æque admiserim. Nam quod Salmasius (c) Flavium Vopiscum Copton, & Ptolemaidem urbes sexto pro accusandi casu enunciaffe censet, id nullo prorsus modo ferre possum, cum nusquam neque apud eundem, neque apud reliquos Historiæ Augustæ scriptores ejusmodi labes deprehendantur. In Antonini quidem Itinerario urbium nomina sexto fere casu proferuntur: at admodum barbare hunc librum conscriptum esse vel pueri sciunt, ut merito viri (d) docti falso Antonini nomen gerere conjecerint, & Æthico scriptori Christiano, qui post Constantini Magni tempora floruit, attribuant. Is enim ex ea, quam Julius Cæsar, & postmodum Augustus orbis descriptionem faciendam, & in publicas tabulas redigendam curaverant, suam concinnavit Cosmogra-

e Grutheri thesauro libellum Arrii Alfii Arrii Fadilæ Antonini Pii matris mendis quibusdam ita sædatum, ut inde cuilibet patere possit, non sæculi vitium id esse, sed aut exscriptorum, aut ipsorum denique marmorariorum. Nec si ita primum e calamo excidisse fatear, iocir-

co causa cadere me oportet. Nam vel sub Augusto libertorum, & id generis hominum scalpta marmore ab hujusmodi maculis non sunt immunia.

(a) *Lib. I. c. VI.*

(b) *Lib. I. c. VII.* (c) *L. c.*

(d) *Videsis Fabric. Biblio. Lat. lib. L. c. 102. & lib. II. c. 8.*

graphiam; & Itinerarium, quod eidem **Cæsari** quidam assignant, ab aliis antea sæpe interpolatum ætatis suæ genio, dicendique characteribus obsecutus diffinxit.

Ea igitur Latine linguæ securis non injecta est, nisi postquam Gothi, Vandali, & reliqua barbarorum colluvies Hispanias, Gallias, Italiamque pervastarunt. Tum enim vehementissimo illo turbine concussam imperium cum ruere incepisset, eodem labefactatæ motu litteræ universæ conciderunt. Armorum scilicet strepitus bellorumque terror injurioso cuncta prouentium pede sempernam studiis omnibus indixere justitium. Quocirca Ecclesiæ patres Divinarum Scripturarum studia jacuisse jam communium temporum calamitate sæpissime indoluerunt: inter quos S. Hieronymus (a) ab hosticis tumultibus sibi præterdit excusationem, quod commentarios in Ezachielem nequiverit ad umbilicum perducere: *Quod si, inquit, juxta inclytum oratorem silent inter arma leges, quanto magis studia scripturarum, quæ & librorum multitudine, & silentio, ac librariorum sedulitate, & otio distantium indigent.* Nec mediocre detrimentum litteris illud attulit, quod ipsi barbari a bonarum artium studiis immane quantum abhorrebant; quare Gothorum proceres indignati sunt, quod Amalafuntha (b) Theodorici regis Italiæ uxor liberalibus disciplinis liberos suos tradiderat imbuendos. Itaque obmutescentibus litteris, dirigit scribingentium animus; & si quod editum opusculum est, aut exarati tituli, hi plurimis sæpe videntur scatere mendis, & insolentia vocabulorum aures oculosque legentium detinere. Habet enim Latina Lingua cum artibus omnibus, quæ ad humanitatem pertinent,

---

(a) *Epist. 82.*

*Goth. c. 2.*

(b) *Procop. lib. 7. de bello*

nent, commune quoddam vinculum, ut hæc interire non possit, quin simul illæ nobis excutiantur de manibus. Eamobrem ante Caroli Magni (ix) tempora, qui aq omnibus prædicatur litterarum instaurator, cum illæ longo senio contabescentes emareuissent, in Galliis nemo fere inveniebatur, qui Latine posset loqui, aut scribere. Ea quidem tempestate soli sibi Clerici (x) sapere videbantur, ut in amplissimo proinde locarentur Palatinarum dignitatum gradu, & in Aulis obirent Notariorum honestissima munia: verum eos in eodem, quo cæteri, hæsitasse luto, declarant satis crasso filo per ea tempora elaborata diplomata. Sed, quoniam ea, quæ dixi, ex alatis magis exemplis, quam ipsa per se se cognosci atque intelligi possunt, ea proferam, Auditores, in medium, quæ propositam mihi rationem mirabiliter ediferent. Ac principio opere magno commoveri soleo, cum vel quarto Christi sæculo sub Cos. Lupicino, & Jo-

vi-

(ix) Eginhardus hæc litteris consignavit de summa Caroli M. in viros doctos propensione: *Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis sublimabat honoribus*. Hinc Alcuinus in epist. ad Carolum M. restatur, eumpte Gallias *Novam Athenam* reddidisse.

(x) Ævo medio litterator idem erat, qui Clericus; nam in clericatum non adlegebantur, nisi γραμματῶν ἐπιστήμονες (litterarum periti) ut est in Nov. VI. c. 8. Quo-

circa Johannes Villanus pro peritissimo homine *gran cberico in iscritura* dixit. Summo proinde in pretio habebantur a principibus, & archivis regiis præficiabantur. Id enim sonat Palatina illa dignitas *Chartophylax*, qua nihil sollempnius in utraque historia occurrit. In Ecclesia Occidentali vero *Chartularius*, qui a Chartophylace non diversus videtur, idem ac *Notarius*. Hinc Gregorius M. I. IV. epist. 23. Callorium Diaconum, qui a Johanne Diacono *Chartularius* vocatur, *Notarium* appellat.



vino sculptum Victorini pueri (xi) elogium oculis usurpo; jam inde Latinum sermonem obsolevisse comperio, & in florentissimis illius campis multa spinosiora jam temporum feliciorum oblivionem consecuisse. Quo enim longius ab aureo Augusti sæculo digrediebatur, hoc magis desuescere videbatur & in barbariæ submergi barathrum; ut ad eam emaculandam, tanquam Cerberus ab inferis esset exturbandus, aut Augiæ stabulum repurgandum, Herculei navorum, & industriorum hominum vix suffecerint labores. Opportune scilicet sese mihi videtur objecisse M. Varro (a), cum ait: *Vetustas nam pauca depravat, multa tollit: quem puerum vidisti formosum, nunc vides deformem; tertium sæculum non videt eum hominem, quem vidit primum*. Ergo duos ex Sponio Mabillonius (b) producit titulos; unum (xii) V. vergente sæculo sub Anastasio, & Rufo coff. exaratum; alterum magis salebrosus, & inficetum VI. sæculo sculptum; in iis contemplari vix licet parietinas & rudera seminecis Latinitatis. Non immerito igitur magnus ille Turonensis (c) Antistes se culpa sæculi casus alternasse queritur; & statim ab initio Historici operis veniam a lectoribus petit: *Si aut in litteris, aut in Syllabis grammaticam artem excefferis*. Quod si rem Diplomaticam evolvere non molestum est, & in vetustis archi-

E

vis

(xi) Hujus Epitaphii pretiosissima cimelia istiusmodi sunt: *Decesset de seculum, & bixit anus*. Quæ sane formula in vetustis Christianorum, & Gentilium sub hæc tempora sculptis marmoribus frequentissima est.

(xii) Ibi: *Bene memorius*

*Cesarius*. In altero autem epitaphium hunc qui intuis, lector, bone recordationis Agapi negociatoris membra quiescunt.

(a) Lib. VIII. de L. L.

(b) In supp. Dipl. p. 15.

(c) S. Greg. Turon. l. I. de Glo. Confess.

vis tantisper subsistere, profligatissimum ac prorsus abjectum Latium sermonem cognoscetis. Non heic autem diutius immorabor in ærea illa tabula, quam Petrus Hamo Caroli IX. domesticus, & a secretis ex Regie Cimeliarchio primus deprompsit, ac pro Julii Cæsaris testamento venditavit; glaucomam enim ei objecit falsa Julii testamenti epigraphæ, cum sit eadem, quæ *charta plenaria securitatis*, ut optime censuit Mabillonius; (a) & ævo Cæsaris putidas illas Latinitatis maculas attribuere, immane flagitium sit. His igitur prætermisissis, quæ spuria traducuntur; genuina potius monumenta disquiramus. Et quidem Lambecius (b) cum ex antiquis forulis quamdam Ravennensem protulisset chartam an. DIX. exaratam, adeo *obscuram, intricatam, & lectu difficilem* judicavit, ut ipsemet *nec veram lectionem, nec verum sensum divinando assequi potuerit*. Quid porro meminerim *instrumentum*. (XIII) *plenaria securitatis* conscriptum XV. anno Justinianei imperii Ravennæ, in quo non solum pro recto casu, & quarto passim sextum reperire est, sed inde haud du-

-bis

(XIII) Hujusmodi instrumentum omnium primus vulgavit sub J. Cæsaris testamenti nomine Petrus Hamo, deinde Brissonius de *Form. lib. VI.* postremo Mabillonius, cui quasdam etiam adnotationes inspersit. Ibi post plurima luxata verba notitia subjicitur earum rerum, quæ ex testamento Gratiano pupillo advenerant: *Argenti libros*

*duas hoc est cocleares numero septem, scotella una fibula de bracciale... stragula polimita duo valentes solido uno tremissa, uno scamnile &c.* Ex paucis istis ceteras Latinitatis delicias conjicito.

(a) *De Re Diplo. p. 344.*, & p. 460.

(b) *Apud. Mabill. l. c. p. 446.*

bie etiam colligetis, Latinam linguam in Italicam (xiv) jam, qua nunc utimur, descivisse. Jam vero si tantam in Italia, ubi Latinitatis fons erat, calamitatem hæc ac-

(xiv) In Italicæ linguæ principis investigandis tanta, ac tam magna ingenia sese exercuerunt, ut frustra futurus sim, si huc omnia cuperem infarcire: aliqua tamen pro nostro modulo admetiri, non est ἀπορδιόνυστον. Illud autem in antecessum monitum volo, hanc, qua hodie familiariter utimur, lingua, non solum esse Latinæ surculum, sed barbaricarum etiam vocum quoddam veluti seminarium. Hoc itaque sensu Italica lingua multo vetustior est, quam vulgo creditur. Nam præter ea, quæ Muratorius Diff. XXXII. undique corrasit, non obscura sermonis hujus indicia in D. Hieronymo mihi videor detexisse. Is enim ad Fabiolam scribens: *Volo, inquit, pro legentis facilitate abusi sermone vulgato: solent militantes habere lineas, quas camisias vocant &c.* Ex quibus vide, ævo D. Hieronymi vulgatum sermonem a Latino longe abuisse; nam cum novum, & antiquis scriptoribus inauditum verbum *Camisia* usurpandum ei esset, veniam præfatur. Porro barbarica isthæc mercês est a Græco vocabulo χαμῶδι bu-

mi detorta. Hinc Glossæ Basili. χαμῶδιον ὁ ἐπὶ χαμῶτων χιτῶν hinc etiam χαμῶστος dicti sunt ministri in Ecclesia calefaciendis sacris lebetibus, & aliis hujusmodi muniis adscripti; vide Meurs. in Gloss. S. Isidorus lib. XX. c. II. hujus vocis originem aperit, cum scribit: *Cama est brevis lebetus, & circa terram: Græci enim χαμῶδι humi dicunt.* Italico sermoni propius est, quod in ch. pl. sec. legitur, *camiscia*. S. Augustinus verbum *jofum*; unde nostrum *giu* effectum putat Menagius, usurpavit. Apud D. Gaudentium Augustino æqualem *brodium* legitur. Jam vero Urbicus V. sæculi scriptor, sed adhuc ineditus, formulam affert, qua tribuni militibus olim imperitabant; in qua clarissima Italici sermonis vestigia apparent: *Silencio mandata completo; non vos turbatis; bandum sequite; nemo dimittat bandum, & inimicos sequi.* Illustriora monumenta sexti sæculi scripturæ suppeditant; tunc enim *insirumantum plenarie securitatis*, ut ante vidimus, hæc fere vulgari lingua est enaratum. Sub Longobardica demum, & Franci-

cepit, ut penitus excisa sit, & in aliam longe diversam deflexerit: quid provinciis evenisse censebitis, quas limpidos sincerisque Latii latices numquam attingisse antea fufius ostendi? Exinde quidem certe Gallia bilinguis (xv) evasit; cum post Franchorum in Galliis constabilitum imperium Francicam Romanamque ibi linguas invaluisse satis hodie scitum fit. Primam equidem Franchi invexerunt, & cum in aula ab optimatibus usurparetur, *Regiam* vulgo vocitabant: altera imæ dumtaxat multitudini inhæsit: ut ex Synodo Tauronensi (a) sub Carlo Magno habita fit manifestum; ibi Episcopi admonentur, *ut homilias quisque aperte transfer-*

cica tempora manifestius Italum eloquium sese exseruit. In quodam enim Desiderii ultimi Longobardorum in Italia regis diplomate hæc, prorsus Italica omnia, habemus: *In carpone gressu, in rovere arsa, usque in alia rovere verde pertusata*. Publicas denique supplicationes sub Carolo M. sic conceptas legimus: *Adriano summo Pontefice, & universale Papa, Redemptor mundi. Tu la adjuva*. Sic paulatim igitur Italica lingua coaluit; ut a decimo usque Christi sæculo poemata primum prodire visa sint, deinde etiam solæ orationes eo sermone conscriptæ. Tandem XIII. sæculo permultos adfcivit ornatus; tantisque hodie leporibus sufferta est, ut nec Græcæ, nec Latinæ secunda sit.

(xv) *Romana lingua* monumentum illustrius non habemus, quam sollempne Ludovici Germaniæ Regis iuramentum, quod Carolo Franciæ regi conceptis eo sermone verbis sic dicitur jurasse: *Pro Deo amur, & pro Christiano populo, & nostro comun salvamento dist di in avant in quant Deus favire podir me donat si salvare ie cist meon fradre Karlo, & in adjudha, & in cadbuna cosa &c.* Post hæc in verba Ludovici Carolus Rex iuramentum *Toudisca Lingua*, quæ eadem fuit ac *Regia* seu *Francica*, concepit apud Du-Can. in Gloss. Vides hinc, quo Latina lingua nono Christi sæculo devenerit, ut ab Italica nostra difficile possis secernere.

(a) *Cap. 17.*

*ferre studeat in Rusticam Romanam linguam, quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur. Cur autem Romana, & Rustica dicta sit, Oedipo non opus est divinare, propterea quod ea rustici solum utebantur, & quæ post Franchorum adventum Romanorum reliquæ in Galliis supererant; adeo ut egregie Sidonius Apollinaris (a) rubiginem trivialium barbarismorum hujusmodi sermonem appellarit. Quid vero de Latialis eloquii facto in Hispaniis querar, cum eas Chaldaicæ linguæ ævo sequiori unice incubuisse testetur Alvarus (b), ut nec amicum Latine per epistolam salutare quis lauderet. Quid denique de Africa, & Oriente dicam, ubi ne umbram quidem Latine linguæ hodie possis agnoscere.*

Ergo quam artis disciplina perpoliverat, bonisque auctibus auxerat castissimorum auctorum imitatio, mox & amplitudo imperii per ultimas terrarum partes disseminaverat, ea tantisper stetit viguitque, dum salvum & incolume stetit Romanum imperium, quo mole laborante sua una cum eo miserandum Latina lingua fecit naufragium. Hic lacrymas, Auditores, continere nequeo, & Hesperia luctuosæ inflicta damna, iniustasque vastitates non miserari non possum. Pro curia, inversique mores! Heu quam funesti nefarii que ignes palpitantia adhuc scriptorum membra dissiparunt? quam impie flamma ferroque, & quacumque vi posset, venerandæ antiquitatis ossa miles inquietavit insolens? Heu scelestæ barbaries Europæ, Africae, Asiaeque commune sepulchrum! en deperditas gravissime perscriptas amplissimi senatus auctoritates! en elanguescentes, & emortuas legum, fœderumque sollemnissimas formulas! Valeant, valeant Gothi, Vandali, & siquæ humani generis portenta alia

Ita-

---

(a) *Lib. IV. epis. 10.*

(b) *In Judic. Lum.*

Italiam nostram quondam ad exitium, & ruinam vocarunt. Quanquam nihil est, quamobrem istos magnopere reprehendamus; nam certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, & extingui. In tanta hodie litterarum luce quis ferat rupices istos magistros malo puerorum natos, & vix inter densissimas illas ignorantiae tenebras perferendos? Quid iis facias, cum ulcera divinae antiquitatis emarginare non verentes, miseros adolescentes in quibusdam tricis, & cerebrosis ambagibus, quas nec ægri somniant, ætatis florem infumere veluti ex tripode jubent, &, si nolint, flagellis adigunt: nonne ambas eos jubeas inflare buccas, & quam liberalibus puellis ferulam minitantur, in eosmet contorqueas; vel potius perpetuo in pisistrinum compingnas, ut ibi tanquam noxæ dediti damna optimis adolescentibus, & bonæ Latinitati illata sarciant. Num hoc in vobis, ornatissimi adolescentes, flagitium feremus, quos Immortalis Dei cura, vestrorumque patrum sapientia fidei nostræ salubrioribus præceptis imbuendos commiserunt? Haud equidem patiar luteis vos inquinari scriptoribus, aut inutilium præceptionum quisquiliis consecrari; sed, quod bene vobis feliciterque eveniat, ipsos castæ germanæque Latinitatis adire fontes non hortor solum, sed etiam pro auctoritate, quam mihi in præsentia tribuistis, jubeo. Ita enim vos summum Latii splendorem consecuturos, viamque vobis interiora studia explanaturos promitto, & spondeo.

F I N I S.

## VINDICIÆ BARONIANÆ

## QUIBUS

Annalium pater a Rich. Simonis, & Sam. Basnagii cavillationibus defenditur.



Um pag. XVII. non pauca pro Baronio dixissem, eaque multis ad imam oram argumentis confirmare satagerem, opus, uti fit, opinione longius crevit in manibus, ut ad hunc postremum locum ea rejicere coactus sim. Dabis autem, amice lector, veniam, si hanc pro Baronio defensionem, qualiscumque sit, susceperim. Id enim a memetipso expressit singularis erga talem tantumque virum amorne, an veneratio? cui tantum quidem debet Historia Ecclesiastica densissimis antea obsepta tenebris, ut tunc primum in conspectum hominum prodire visa sit. Nec immerito ipso vivente Baronio, ac vidente omnes prope una voce fatebantur, divinum opus non potuisse ab uno concinnari viro; sed totum B. Philippi profusis ad Deum precibus acceptum referri oportuisse, ac S. Spiritus afflatibus. Sed ecce tibi qui catervatim deinceps Ecclesiasticas Historias vul-

garunt, hi, cum tanta eis fax præluxisset, & a Baronio non modo rerum series, sed & ipsas res sumpsissent, eo tamen devenere audaciæ, ut ob minima nescio quæ humanæ fragilitatis errata, in jus sæpe illum vocare non dubitarint. Sed querelis, quæ nullo non loco molestæ sunt, omissis, in medias res irruamus. Ac luculentissime ille quidem ad *Ann. Chr.* 34. & 45. mihi videtur probasse, Evangelium Marci Latine primitus elaboratum. Nam, inquit, *liber de Romanis Pontificibus, qui fertur nomine Damasi, Marcum Latino sermone Evangelium suum scriptis mandasse non obscure significat; itemque Græci, & Syri in eam procliviores videntur fuisse sententiam; neque aliud voluisse videtur Gregorius Nanzianzenus (in Car. de quatu. Evang.) dum ipsum Italis scripsisse Evangelium testatur bis versibus:*

*Marcus at Ausonia Christi miracula genti*

*Hæc*

*Hæc memorat, Petri nixus sermone fideque.*

Ad hæc pro explorato habendum cenſet, D. Marcum Romanis (penes quos Helleniſmus, & quod in uſu eſſet meretricio, & quod Tiberius, Claudiusque Principes apud Svet. in Tib. c. VII. & in Claud. c. XVI. ſuis ſanctionibus eliminaffent, jam exoleverat) ut velificaretur, animum ad ſcribendum aduſiſſe. Ad ultimum ita calculum ſubducit: *Non igitur Marcus in ſenatorum aliorumque nobilitatem Romanorum civium, qui Græcas litteras callerent, quos Græce loquentes poenam ſequi cognoſceret, neque etiam in imperii vulgi gratiam illud Græce ſcripſiſſe potuit, penes quod Græcus ſermo viſeſcebat, uſu meretricio infamatus; vid. Juven. Sat. XVI. Hæc mihi liquidiffimæ videntur rationes, & mentis non iniquæ leſtoribus facient fortaffe ſatis. Verum, quandoquidem Richardus Simon eas reſigere conſtititur, pluribus ego quantum poterò auctoritatibus circumvallabo; quod antequam iſtituam, haud ejus verba producere gravate feram: *Tout ce raisonnement* (loquitur de illatione Baronii, quam nuper protulimus, & quam ex veterum ſcriptorum teſtimoniis tanto viro colligere in proclivi fuit) *ne prouve rien, ſi l'on conſidere que Saint Pier-**

*re a parlè aux Juifs de Rome en la langue qu' ils entendoient, & que Saint Marc a recueilly dans la même langue les predications de cet Apôtre, a la priere de ces Juifs nouvellement convertis. At Simoni quidem prævit Grotius, qui in annot. in tit. Marci ſic præfat: *Judæi, qui Romæ agebant, plerique Latini ſermonis ignari, longa per Aſiam, & Græciam habitatione Græcam linguam didicerant, & Romanorum vix quiſquam erat non Græce intelligens. Miror autem Grotium magis acutum cernere potuiſſe, quam Clementem Alexandrinum, aut Eusebium, aut denique Nazianzenum (Baron. l. c. ubi vide plura) qui ab Apoſtolicis temporibus propius aberant, & in recenti veluti negotio facilius noſſe poterant. Atqui hi omnes a Romanis flagitantibus, quin etiam Italis Marcum Evangelium ut ſcriberet inductum proſiderunt. At demus, hoc in Judæorum gratiam Evangelium promulgatum. Num hinc ſequitur, Græco primum eloquio conſcriptum? tota via aberrent neceſſe eſt, qui ita ſenſerint. Nam Judæi, qui Romæ agebant, Latine prorsus colloquebantur, ut eorum quidam vel Latina poemata ſcripſerint; vide Salm. in de Ling. Hellen. p. 204. Hinc Martialis epig. 94. Theodorum quem-**



quemdam Judæum poetam irridet:

*Piorios vatis Theodori flamma  
penates*

*Abstulit . . . .*

Et epig. 45.

*Ecce negas, juraſque mihi per  
verba Tonantis,*

*Nan crede, jura verpo per Abbia-  
lam.*

h. e. Ϟϣϣϣϣ qui vivit in æternum. Judæi profecto, qui ſuis ultimas prope terrarum oras coloniis repleverant, agnomen ab regionibus, & urbibus, quas incolabant, deſumere ſoliti fuerunt; id quod ex plurimis Actorum Apoſtolicorum locis innoſcit, & præſertim ex Joſepho lib. II. contra Apionem, cui Judæos criminanti, quod cum ex Judæa ortum ducerent, tamen Alexandrinos appellari ſe cuperent, hæc Joſephus reponit: *omnes, qui ad coloniam aliquam devocantur, eſſi plurimum ab alterius genere differant, a conditoribus appellationem accipiunt. In quibus opus eſt de aliis dicere? Noſtrum enim ipſorum hi, qui Antiochiam inhabitant, Antiocheni nominantur; jus enim civium eis dedit conditor Seleucus &c.* Ergo & Judæi, qui vivebant Romæ, Romani dicti ſunt, quod civitatis Romanz eſſent honorem adenti-

got. ad Cajum de Augusto loc. ait: Ipſam vero nunquam inflammatum talibus obſequiis, hinc conſe colligitur, quod nunquam ſuſtulerit ſe appellari Deum, vel Dominum, averſatus hæc adulationem, nec diſſimulans probari ſibi Judæos, qui abominarentur talia; alioqui non paſſus fuiſſet orationem bonam urbis partem, reddere a Judæis, quorum plerique erant libertini (Ραμῆϊοι δὲ ἦσαν ἐκ πλεον ἀπελευθερωθέντες, quorum plerique Romani erant, libertini generis) quippe qui belli juſte in poteſtatem redacti (ἀρχμαλινοὶ γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, nam captivi in Italiam abducti) a dominis manumiffi fuerant, permiſſi ritu majorum vivere. Jam vero quis Judæos toleraverit Romana civitate donatos, & ob diuturnam Romæ domicilium Romano ſermoni jam adſuetos Græce potius ſerentes, quam Latine ſecum colloquia? aut cur potius Græca, quam Syriaca, vel alterius cujuſcumque gentis lingua utebantur, cum Philo non unde abæxi ſine exprimer, ſed tantum in Italiam captivos ductos: & ex Act. Apoſt. loco infra-explicando clariffime exiſtat, Judæos ejus gentis lingua, in qua ſedes fixerant, collocatos. Adde, cum Marcus Evangelium ſub

ita Judaeus existimandum est ,  
 quos sub Augusti principatu Phi-  
 lo commemorat ( cum hi in  
 communem locum jam abierint  
 necesse sit ) sed eorum liberos ,  
 quos editos in lucem Romae a  
 pueritia Latinum sermonem ha-  
 buisse probabile est . Probabile au-  
 tem immo vero etiam certis-  
 simum videtur mihi . Etenim  
 praeter ea , quae modo ex Mar-  
 tiale stabilivimus , ex Act. II.  
 dilucide hoc eruitur . Cum enim  
 sacra Pentecostes die divinum  
 linguarum donum Apostoli ac-  
 cepissent , & inaudito variarum  
 linguarum prodigio effarentur  
*magnalia Dei* , qui tum ex om-  
 nibus locis Hierosolyma Judaei  
 convenerant , ad tantae rei por-  
 tentum exterrati sunt . Nonne ,  
 inquebant , *ecce omnes isti , qui  
 loquuntur Galilaei sunt ? & quomodo  
 nos audivimus unusquisque  
 linguam nostram , in qua nati su-  
 mus ? Parthi , Medii , & Elami-  
 ti , & qui habitant Mesopotamiam ,  
 Judaeam , Cappadociam , Pontum ,  
 & Asiam , Phrygiam , & Pan-  
 thyanam Aegyptum ; & partes Li-  
 byae , quae est circa Cyrenas , &  
 abitha Romani . Judaei quoque ,  
 & Proselyti : Graeci , & Arabes .*  
 Videt hinc , omnes illos , qui  
 hic numerantur Judaei idcirco  
 dixit propriae quaeque dialecto  
 h. e. ea , quae in patria pro-  
 prii adhiberant , usus . Unde fit ,  
 ut , qui Romam habitabant Ju-

daei , Latinos loquerentur , sicut  
 qui Mesopotamiam , Chaldaicam ,  
 qui Arabiam , Arabice : & qui  
 Asiam , Graece . Asiam enim  
 Minorem , quae Graeci quae erat ,  
 sine Minoris additamento mo-  
 ris erat : enunciare , ut patet ex  
 Cic. in Manil. & ex Act. cap. XVI.  
 6. 7. Similiter cum absque  
 Graeciam dicebant , Minor ea  
 intelligebatur , quae obsidebat  
 Campaniae littora : Majorem al-  
 teram , quae circa Tarentinam  
 sinuam erat suo appellabant nomi-  
 ne : vide Mar. in Tab. Her. p. 22.  
 & alibi . Quod autem Corneilius  
 Lapide , & Manochius ad hunc  
 quae credimus Aetorum lo-  
 cum , per Asiam hic intelligi  
 volunt eam Asiae partem , quae  
 adjacet Propontidi , ii quidem  
 ( praeter tantorum virorum dixer-  
 unt ) Asiae sic pressius dictae li-  
 mites nimium contrahere viden-  
 tur . Inter praeter quidem Apollo-  
 nis in II. Argon. observat no-  
 men Asiae vel Lydiae quon-  
 dam anibatum : *Asia γαίη* ( inquit )  
*επιπροσενεχάδατο η Αδία* : At  
 apud Romanos scriptores & in sa-  
 cris litteris nusquam ita accipie-  
 tur , sed totam Asiam quae Minor  
 dicta est , denotat , ubi & per multi  
 Judaei , ( ut ex plurimis Josephi lo-  
 cis constat ) commorabantur ;  
 quemquem & Joniam interdum  
 significat non inficet , in qua il-  
 le septem erat Asiae Ecclesiae ,  
 quae in Apoc. I. 4. memorantur ;  
 eam

etiam enim S. Hieronymus, vel potius Eusebius de locis A&C. Apost. Specialiter *Asiam* vocari testatur. At hæc obiter adnotasse sufficiat: institutam porro orationem prosequamur. Ac recte Sal. in de L. Mell. ad q. V. interpunctionem illam tollit, quæ in Vulgata in eo advenas Romanos, & Judæos iacta jectur; ut hic intelligendi sint. eam origine Judæi, qui Romæ degabant, quam Profelyti, hæc Romani Judaismus amplexi; qui Hierosolyma negotiationis causa, vel religionis tunc adnavigaverunt. Num igitur Romani illi Profelyti etiam Græco sermone uterentur? an in Judaismus prolapsi Græce quoque sciendi necessitate premebantur? Neque efficit, quod Apostolus ad Romanos Græcam epistolam misit; nam (ut mittam, quod Scholiastes Syrus Latine circubratam prodit) eam de magno divinæ Gratiæ & Prædestinationis mysterio agendum ei esset, autoritatem sibi ex sermone Romæ non vulgari conciliavit. & hodie nam Episcopi ad inauguranda sibi Episcopatus initia Bæcylia ad Christianam plebem literas Latine scribere consuevit. Num inde quis elicit, Latine linguam hodie in usu esse vulgato? Sævis summatim mihi videor

Basnagii; qui de plumbæ in Baroniæ jactat pagiones, geras venio. Is igitur ad A. D. 66. totam in Baroniæ actionem ad tria capita reducit, ad Marci Hebraismus; ad Pauli epistolam Romanis Græce scriptam; ad Hieron. demique & August. auctoritates. Primum opponit Baronio, quod hic in Evangelio Marci nonnullas observaverat Græcas voces improprias, quæ in Latino Origineli in Græcam semelacine translata sunt. Sirtetique laudaverat Cardinalis opus, qui hanc egregie partem adornavit. At non miror equidem paucos illos, quos adnotavit Basnagius, Evangelio Marci Hebraismus subesse; sed plures alios ab ipso non visos, ultro fatent. Verum qui Græcitas hujus Evangelii hinc ostendit? Poserat enim Latine lucubrari, & plures interim Hebraismi obrepere, cum ab homine Hebræo scriberetur. Nam in cuncta linguis omnibus comparatum est, ut, si quid ex eo non facerent illinamus, non potest non idiocismi nostrates eculano temere excidere. Ergo, & Lucas, qui Græca locutionis soligentissimus habetur sæpissime in Hebraismo prelabitur. Nam, eo quod in Deut. X. 17. scriptum legitur *NUM NUN NUN*

id ipsum apud Lucam ἀντολιζέει  
sonae. non est personarum acceptor

*Deus.* פָּנִים ( Panim ) enim fa-  
cies, quod Hellenistæ πρόσωπον  
vertunt, Hebraeis est extimus  
quarumlibet rerum ambitus, &  
quidquid rei cuiuspiam gerun-  
dæ indicium præbet. Ita quod  
idem Lucas IX. 53. ait ὅτι οὐκ ἔλαβον  
αὐτοῦ ἢ παρενομιζομένου, quia facies  
ejus erat cunctis (in Jerusalem) id  
vicinum est illi loco II. Sam.


VII. II. פָּנֵי הַלֵּבִי, quem  
LXX senes ita reddiderunt τὸ  
πρόσωπόν σου παρενομιζομένου, facies  
tua ipsius cunctis h. e. in præ-  
fatum. Quid est igitur, quod  
ob hujusmodi γραμματολογίας de  
Marci Græcismo dubitare pos-  
simus? Sic enim & Homerum  
Hebraice scripsisse fatendum erit,  
quod plurima Homericæ syn-  
taxeos loca, itemque verborum,  
& sententiarum Biblico sermo-  
ni simillima sint; vide Mazoch.  
in Spic. Bibli. Proleg. Sect. II.  
Alterum Basnagii argumentum  
silentio prætereo, ne refricare  
cogar; quæ antea in apricum  
protuli. At neque plus pon-  
deris testium habet, quod tan-  
ti ille quidem fecit, ut Baro-  
nium novitatis arcessere non re-  
cusaverit, cum inquit: *At ne-  
que Baronium laudamus, dum is-*

*venta sua anteposuit antiquitati.*  
Jamdudum enim divinus homo  
Hieron. & Aug. auctoritates per-  
fererat, eisque Syros & Græ-  
cos opponis, qui secum con-  
sentiunt; vide Nor. Genabr. in  
Chr. & Seld. in Eutychium,  
quem Basnag. injuria *magnus  
fabulatorum* vocat, qui Seld-  
no est *Beda alter Ægyptius.*  
Sed ne tantorum Ecclesie Pa-  
trum nomine videar abuti, ex-  
periar sane, an vera illorum senta  
possim in lucem protrahere.  
Hier. igitur Epist. 123. hæc ha-  
bet: *De novo nunc loquor Testa-  
mento, quod Græcum esse non du-  
bium est, excepto Apostolo Mar-  
thæo, qui primus in Judæa Evan-  
gelium Hebraicis litteris edidit.*  
Nunc, queso te, Basnagi, cum  
Hieron. præter Evangelium Mar-  
ci N. T. Græce exaratum prodit,  
excipitne Pauli ad Hebræos epi-  
stolam? At is in Cat. Lat. Script.  
Eccles. de capte loquens episto-  
la: *Scripsit, inquit, ut Hebræis  
Hebræis Hebræis.* Igitur cum  
Græce scriptum N. T. asserit,  
aperta usus est synecdoche, ut  
Epistolam Pauli ad Hebræos,  
& Evangelium Marci haud du-  
pic exceperit. Jam vero Augu-  
stinus l. I. c. 2. de Conf. Evang.  
cum ait: *Horum sane quatuor so-  
lus Matthæus Hebræo scripsisse por-  
bitur, eloquio, ceteri Græco, alio-  
rum magis sententiam videtur*  
ad.

( XXIX )

adduxisse, quam ex sui animi  
sensu locutus. Sed esto, quod  
ita censuerit; num unus Au-  
gustinus, cujus ceteroqui nomen  
in re Theologica magnum est,  
reliquorum Patrum testimonia,  
Baroniique ex historia petita  
gravissima argumenta dissolabit?

Quid? S. Irenaeus Evangelium  
Marti post Neronis obitum, &  
S. Joh. Chrysof. non Romæ, sed  
Alexandriæ vulgatum prodide-  
runt memoriæ. Num propterea  
ceterorum Patrum in alia om-  
nia abeuntium auctoritas vacil-  
labit?



# INDEX AUCTORUM

Qui notantur, laudantur, explicantur.

**A**

**A** Leuinus laud. XXVI. n. IX.  
 Alvarus laud. XXXI.  
 Arnobius laud. XI.  
 S. Augustinus illust. XXI. laud.  
 XXIX. n. XIV. c. 2. explic.  
 XXXVIII.

**B**

Baronius laud. XV. defend. XVII.  
 XXXIII. & seq.  
 Basnagius not. XXXVII. I. &  
 seqq.  
 Brissonius laud. XXVIII. n. XIII.

**C**

Du-Cange laud. XVIII. n. XXI.  
 Casaubonus laud. X. n. III. c. 1.  
 Cicero laud. III. V. IX. XIII. n.  
 IV. c. 2. illust. XXXVI. c. 2.  
 Clemens Alex. laud. XXX. c. 2.  
 Clemens Rom. XV.  
 Conc. Chalcedonense laud. XV.  
 Conc. Turonense. laud. XXX.  
 Cornelius a Lapide not. XXXVI.

**D**

DioCassius laud. XIII. ill. XXXVII.  
 Dukerus Andreas laud. XXIII.

**E**

Eginhardus laud. XXVI. n. IX.  
 Eusebius explic. XIX. n. V. c. 2.  
 laud. XXXIV. c. 2.  
 Ezech. Spanh. laud. VIII. X. n.  
 III. c. 1. & 2. XI. XII. XIV. n.  
 IV. c. 2. XVI. XVIII.

**F**

Fabricii Bibl. Lat. laud. XXIV.  
 Flavius Vopiscus defend. ibid.  
 Franciscus Philolpus laud. XXII.

**G**

S. Gaudensius laud. XXX. n. XIV.  
 c. 2.  
 Gellius laud. VI. n. II. VIII.  
 illust. X.  
 Gravina Vinc. not. XX. n. V.  
 S. Gregorius M. laud. XXVI. n.  
 X. c. 2.  
 S. Gregorius Nazianzenus laud.  
 XXX. c. 2.  
 S. Gregorius Turon. laud. XXVII.  
 Grosius not. XXXIV. c. 2.

**H**

S. Hieronymus illust. XVIII. laud.  
 XX. XXII. XXIII. XXV. XXIX.  
 n. XIV. c. 1. expl. XXXVIII.  
 Hist. Aug. Scriptores defend. XXIV.  
 Horatius laud. III.

**I**

Interpres Apollonii laud. XXXVI,  
 c. 2.  
 S. Job. Chryf. laud. XXXVIII.  
 Job. Diaconus laud. XXVI. n.  
 X. c. 2.  
 Job. Villanus laud. ibid.  
 Joseph. Heb. illust. XVIII. XXXV.  
 c. 1. laud. XXXI. c. 2.  
 S. Irenaeus laud. XXXVIII.  
 S. Isidorus illust. IV. n. 1. laud.  
 XXIII.

( XLII )

**XXIII. XXIX. n. XIV. c. 2.**  
**Julii Caesaris Comp. laws. VIII.**  
**Justinianus illust. X. n. III. c. 2.**  
**XII.**  
**Juvenalis illust. XVI. XVII. XIX.**  
**XXXIV. c. 1. 2.**

L

**Lex 17. D. de statu hom. explic.**  
**XIII. & seq. & n. IV. l. II.**  
**D. de Leg. 3. laud. IX. XIX. n.**  
**V. c. 1. l. quoniam C. de Test.**  
**explic. XIX. V. c. 1. l. 48. D.**  
**de re Judi. illust. XIV. l. unic.**  
**C. de stud. lib. laud. XX.**  
**Lipsius laud. XIII. XIX. XXI.**  
**Livius laud. R. Explic. VII.**

M

**Mabillonius laud. XX. & seq.**  
**Manutius not. XI. n. III. c. 2.**  
**Martialis illust. XXXIV. c. 2. &**  
**seq.**  
**Mazochius laud. IV. V. VI. VII.**  
**XI. XII. XVI. XXXVIII.**  
**Muratorius laud. VI. not. XXIII.**  
**n. VIII. laud. XXIX.**

N

**Nicolaus Papa laud. XV.**  
**Novella VI. Imp. Justin. laud.**  
**XXVI. n. X. c. 1.**

P

**D. Paulus explic. XIII. n. IV. c.**  
**2. illust. XXXVII. c. 1.**

**Petrus Hamo not. XXVIII.**  
**Pbilo ill. XXV. & seq.**  
**Philostratus illust. XX. n. V. c. 1.**  
**Plinius laud. II.**  
**Plutarchus laud. XXI.**  
**Procopius laud. XXV.**

Q

**Quintilianus laud. XXIII. n. VII.**  
**c. 2. & XXIV.**

R

**Rich. Simon not. XVII. & XXXIV.**  
**& seqq.**

S

**Salmasius laud. XXII. n. VII. c.**  
**2. not. XXIII. XXIV. laud.**  
**XXXIV. c. 2. XXXVI. c. 2.**  
**Scaliger Julius laud. VII.**  
**Schultin. vet. Jurisp. laud. X. n.**  
**III. c. 2.**  
**Sidonius Apollinaris laud. XVI.**  
**XXXI.**  
**Sigonius laud. X. n. III. c. 1.**  
**Statius Papinius laud. XII.**  
**Strabo illust. VII. X. n. III. c. 1.**  
**XVI. XVIII.**  
**Svetonius laud. XIII. n. IV. XVI.**  
**XXXIV. c. 1.**

V

**Valerius Maximus illust. XIV.**  
**Valesius not. XIX. n. V. c. 2.**  
**Ulpianus laud. IX. X. n. III. c. 2.**  
**M. Varro laud. XXVII.**

E R R A T A

S I C C O R R I G E .

|                   |             |      |                |
|-------------------|-------------|------|----------------|
| Frustratio in ep. | Ded. v. 9.  | cor. | Frustratio     |
| Neve              | ibid. fin.  | cor. | Neque          |
| Catilenam         | pag. II.    | cor. | Cantilenam     |
| Beneficii         | pag. v.     | cor. | Beneficii      |
| Exfoletas         | Adn. II.    | cor. | Exoletas       |
| Justiniaus        | Adn. III.   | cor. | Justinianus    |
| Aq.               | pag. xxvi.  | cor. | Ab             |
| Barahtrum         | pag. xxvii. | cor. | Barathrum      |
| Latinæ            | Adn. xiv.   | cor. | Latinæ         |
| Carlo             | pag. xxx.   | cor. | Carolo         |
| Tauronense        | ibid.       | cor. | Turonense      |
| Tanquam           | pag. xxxii. | cor. | Tanquam        |
| Compingnas        | ibid.       | cor. | Compingas      |
| Latii             | ibid.       | cor. | Latii sermonis |
| Interiora         | ibid. fin.  | cor. | Ad interiora   |

VAT  
1516993